

nem basalem producta ibique $\frac{2}{4}$ intermedias latitudinis occupante fusco-nigris; scutello angulis basalibus anguste rufescenti-ochraceis; antennis pedibusque nigricantibus, illis articulo primo basin versus pallescente, femoribus ultra medium sordide ochraceis; pectore ventreque sanguineis, hoc lateribus apiceque nigricante. Long. ♀ fere 8 mm.

Carácas, unicum specimen.

R. accinctae Dist. sat similis, differt statura majore, vitta pronoti latiore et etiam callis totis nigris, marginibus hemielytrorum concoloribus, femoribus apicem versus tibiisque totis nigricantibus, pectore ventreque sanguineis nec ochraceis. Rostrum apicem coxarum intermediarum subattingens, ochraceofuscum, articulo ultimo nigro, primo medium xyphi prosterni attingente. Antennae dense brevissime et tenuissime nigropubescentes, articulo primo capituli longitudine, secundo primo circiter duplo et margine basali pronoti parum latiore, duobus ultimis simul sumtis secundo longioribus. Pronotum basi longitudine parum latius, lateribus late sinuatis. Hemielytra basi pronoti aequae lata, parallela, margine laterali tenuiter pubescente; membrana nigricante, ipso apice nec non juxta marginem anteriorem cunei decolore. Pedes nigropilosi, tibiis adhuc pilis longioribus immixtis, pilis omnibus retrorsum vergentibus; tarsi posticis articulo secundo primo paullo brevior et gracilior.

13. *Resthenia suturalis* n. sp.

Inferne rufescenti-ochracea vel aurantiaca, ventre utrinque serie laterali vittularum nigricantium, superne alutaceo-opaca, capite, pronoto scutelloque aurantiaco-rubris, clypeo, antennis, oculis, strigis duabus transversalibus marginis verticis, parte apicali pronoti, vitta media excepta, maculisque duabus magnis discoidalibus partis posterioris, nec non hemielytris nigricantibus, his commissura cuneoque obscure rufo-ochraceis, etiam margine laterali corii venaque cubitali in hanc colorem vergentibus, membrana nigricante, venis ochraceis, cubitali nigricante; pedibus longe pallido-pilosis, femoribus laete aurantiacis, $\frac{1}{3}$ — $\frac{2}{5}$ apicalibus nigris, tibiis fusciscenti-aurantia-